

ipsum labores, quos propter Deum obire, et indefessa diligentia continuare solebat, deprehensus in mortem incidit! Si denique in Domino mori dicuntur, qui cum S. Paulo desiderium habuerunt, dissolvi, et esse cum Christo, annon merito Philippum nostrum in Domino mortuum dicemus, qui tantopere ad cœlum anhelalet, et illud S. Davidis suspirium cum tanto affectu pronuntiabat: « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini, cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. » Ps. lxxxiii. Et iterum: « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, Ah! quando veniam et apparebo ante faciem Dei! » Sermo dormit Philippus noster, annon cum Discipulis Christi JOAN. xi. dicere possumus: *Si dormit, saluus erit?* Annon saluberrimam S. Pauli doctrinam I. Thess. iv. nobis applicamus: « Nolo, fratres, vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Deus mortuus est, resurrexit, ita et Deus, qui dormierunt per Jesum, adduet cum eo. Itaque consolamini in verbis istis, » et sicut dormientibus felicem noctem et requiem precari soletis, et diligenter cavetis, ne strepitu aut loquela clariore eorum quietem turbetis, ita et Philippo nostro similem noctem optate, dicentes cum Ecclesia: *Requiescat in pace.* Caveat etiam sedulo, ne nimio luctu, aut ejulatu hanc ejus quietem turbetis, sed potius in silentio suum et somnum gratulemini, et si forte per dolores et penas Purgatorii non nihil turbata esset hæc quies illius, vestris precibus et auxiliis causas hujus turbationis removere studeatis, quousque tandem et vos precibus illius adjuti feliciter in Domino obdormiatis, et cum ipso requiem æternam possidere mereamini. Amen.

Similem in modum etiam alie exhortationes funebres institui possunt; quæ, quia in aliquibus locis ad quodvis etiam minimi mendici aut infantis funus haberi debent, et sæpe eo tempore, quo vel alie conciones faciende, vel alia gravia negotia peragenda sunt, adeoque grandem Neo-Parochi in iis instituendis difficultatem paliantur, ut non semel ipsimet mihi sunt fassi: ideo ut hanc quoque difficultatem aliquantum imminuam, placeat diversos conceptus ex duodecim supra enumeratis fontibus petitos hic apponere, ita tamen ut, quantum operosum nimis foret, et ipsi etiam lectoribus fastidiosum conceptus tales

fusius deducere, solum propemodum thema et argumentum indicasse contentus, reliqua ipsi exhortatori in formam redigenda commissurus sim: cui quidem, cum ejusmodi exhortationes vix ultra quadrantem horæ institui soleant, non erit difficile, ejusmodi conceptus dilatare, maxime si ex ipsa etiam defuncti vita, aliqua laudabiliter acta desumat et commendet.

## FONS I.

Exhortationum pro defunctis ex vita defuncti.

Fons primus merito vita, et virtutes defuncti statuuntur. Ex his enim solis vera materia laudis desumitur. Unde licet in ejusmodi concionibus et exhortationibus funebribus etiam nature, vel fortune dotes commemorari possint, id tamen parcius convenit fieri, et ita, ut ostendatur bene illis usus fuisse defunctus; sic enim et ille in materiam laudis transibunt, Auditoribusque materiam imitationis offerent.

Porro ex hoc fonte varii modi exhortationes funebres instituendi profluunt; nam interduum solum in genere demonstrari potest, quantopere fuerit defunctus virtuti delitius; quandoque in specie ad varias virtutes descendendi, atque hoc iterum duplici modo fieri potest, ut scilicet vel aperte et simpliciter unam vel plures virtutes ab eo exercitasse fuisse probetur, vel certe sub schemate aliquis similitudinis ex ipsis virtutibus ejus petita, facta illustriora illius commemorentur, quorum omnium modorum materiam breviter hic exhibeo. 1º Ergo in genere de virtute loquendo ostendi potest ex occasione illius sententia S. Pauli I. Th. iv. *Pietas ad omnia utilis*, quomodo defuncto pietas sua, qua aliqui virtutem intelligunt, utilis fuerit ad benedictionem in temporalibus juxta illud MATTH. vi. *Querite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.* 2º Quomodo ei utilis fuerit ad beatam mortem, a qua pendet tota æternitas juxta commune adagium: *Sicuti vita, mors ita. Et mors est echo vite.* 3º quomodo ei utilis fuerit ad magnam gloriam in celo comparandam. Quia veræ divitiæ eæ solæ sunt juxta D. Bernardum, quæ nos virtutibus divites faciunt; nam ille solum intelliguntur per thesaurum, de quo Christus MATTH. vi. dixit: « Thesaurizate vobis thesauros in cœlis,

ubi nec ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. »

II. Ex occasione thematis: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Ps. cxxxviii. Ostendatur primo quantus honor sit esse amicum Dei, ex comparatione honoris, qui amicis Regum in hac vita exhibetur, et ex illo dicto Davidis I. Reg. xviii. *Num parum videtur vobis esse generum Regis?* 2º Ostendatur, quomodo defunctus ad hunc honorem per solam suam virtutem venerit, nam juxta S. Bernardum in quodam serm. « *Virtus mater gloriæ est; sola enim est, cui gloriæ jure debetur, et secure impenditur.* » Id quod Romani duplici templo indicant, quorum alterum Virtuti, alterum Honori fuerat extractum, sed tali situ, ut nulli ad Honoris templum aditus pateret, nisi prius per Virtutis templum transisset.

III. Ex occasione illius thematis: *Opera enim illorum sequuntur illos.* AROC. xiv. ostendi potest, quod defunctus imitatus fuerit illum Regem, de quo S. Barlaam in parabola dixerat, quod, cum in regno quondam consuetudo fuisset, ut Rex non nisi per annum viveret, postea vero in exilium mitteretur, ille utpote cæteris sapientior, illo anno occulte suas divitias in locum, in quem mittendus fuerat post annum elapsam, premiserit, et sic beate vixerit. Dicatur itaque regnum tale hunc mundum esse, Regi vero illi defunctum similem esse. Excitentur Auditores ad idem faciendum.

IV. Ex occasione illius thematis: *Dulcis est somnus operanti.* ECCL. v. ostendatur 1º quomodo somnus et mors in multis similes sint, atque adeo recte inter se comparentur, uti in § III. supra videre est. 2º Quomodo somnus hic seu mors defuncto operanti, id est, recte et virtuose viventi valde dulcis fuerit, juxta illud Thom. Kemp. I. l. c. xxv. *Gaudebis semper vespere, si diem insomnis fructuose;* eo quod nunc auditorus sit illud Christi MATTH. xxv. *Intra in gaudium Domini tui,* et JOAN. xvi. *Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Excitentur proin Auditor ad congaudendum, juxta illud Rom. xii. *Gaudete cum gaudentibus,* et I. COL. xii. « *Sive gloriatur unum membrum, congaudent cætera membra.* »

V. Ex occasione illius thematis: *Negotiamini, dum venio.* LUC. xix. ostendi potest primo quam bene S. Gregorius Nazianz. et alii SS. PP. vitam hanc compararint mundini, quia nunc tempus est emendi necessaria

pro æterna vita; quia durant brevi tempore iisque finitis non amplius est occasio emendi; quia nemini offertur merx ulla, id est, gratia, sive jus ad gloriam alterius vite, nisi pro pretio honorum juxta illud S. Pauli, II. Cor. v. « *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* » 2º Ostendatur, quam bene negotiatoris officio in his mundinis functus sit defunctus, quem diligenter rationem temporis habuerit juxta illud ECCLESII. xiv. « *Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te pretereat,* » et illud S. Pauli EPH. v. « *Videte fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus;* » quam feliciter et non parce expendit pretium pro mercibus, id est, conditiones ad bonum et meritum opus requisitas (ut scilicet sit bonum, vel saltem indifferens, et in gratia, ac cum bona intentione fiat) observavit: quam bona intentione fiat) observavit: quam felicitate semper optimas merces, et apud optimum mercatorem Deum emerit; quam fuerit sollicitus in iisdem suis mercibus per viam securiorum, id est, per humilitatem ad patriam suam coelestem premittendis, quamque adeo caute inanem gloriam vel infestam prædatriam devitarit. Invitandi proin Auditores, ut in societatem negotiationis veniant, et industrias ab eo observatas et ipsi diligenter observare studeant.

VI. Ex occasione illius thematis: *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis et hominibus.* I. Cor. iii. ostendi potest, quam bene Actoris officio functus sit is, qui sepelitur, et 1º quidem quam bene contentus fuerit sua persona juxta illud ECCL. xi. « *Confide autem Deo, et mane in loco tuo; facile est enim in oculis Dei subito honestare pauperem.* » Et illud Epicteti c. xxiii. « *Actorem esse fabule talis, qualis magistro probata fuerit, te memento. Si brevis, brevis: si longa, longa; si Medicum te agere voluerit, fac eam quoque personam ingeniose representes. Ita si claudum, si principem, si plebeum; hoc enim tuum est, datam personam bene attingere; eam autem eligere, alterius.* » Quam diligenter inquisit quid ad suam personam requiratur, et quam studiose id impleverit, memor Doctrinæ sapientissimæ a Seneca datæ EPIC. xxiv. « *Quomodo fabula, sic vita; non quamdiu, sed quam bene sit acta, refert; nil ad rem per-*

finet, quo loco desinas; quocumque voles, desine, tantum bonam clausulam impone. »  
 3<sup>o</sup> Quam mature inceperit suam personam sustinere, et non, ut alii multi homines, in fine primum coperit personam suam agere, memor precepti a Deo per Siracidem Eccl. c. v. dati: *Ne differas de die in diem: Et illius MATTH. XXV. Estote parati, quia, qua hora non putatis, Filius hominis veniet.*  
 4<sup>o</sup> Quam generose hominum iudicia, et actiones ipsius contemnentium, spreverit, et cum S. Paulo dixerit: *Si hominibus placerem, Christi servus non essem.* GAL. I. Sciens nempe, quod, ut S. Climacus prudenter dixit: *Prima virtus Monachi* (et vero etiam cujusque Christiani) *sit hominum iudicia contemnere.* E contrario vero oculos suos semper ad spectatorem suum primum converterit, dicens cum S. David Ps. CXXII. *Ad te levavi oculos, qui habitas in caelis: et cum S. Stephano Act. VII. Ecce video caelos apertos et Filium hominis stantem a dextris virtutis Dei.* Animandi proin Auditores ad simile spectaculum Deo exhibendum.

VII. Ex occasione thematis: *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* II. Cor. v. ostendi potest: quomodo peregrini officium impleverit defunctus et 1<sup>o</sup> quidem, quomodo illud S. Petri I. cap. II. observavit: « Obsecro vos tamquam advenas et Peregrinos abstinere a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam. » 2<sup>o</sup> Quomodo arctam quidem, sed breviorē, et securiorē viam, scilicet Crucis elegerit, de qua Christus MATTH. VII. dixit: *Arcta est via, quae ducit ad vitam, et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Et Thom. Kemp. I. II. c. XII. « Non est alia via ad vitam, et ad internam veram pacem, nisi via S. Crucis et quotidiana mortificationis. Ambula ubi vis; quere, quocumque volueris, et non invenies altiorē viam supra, nec securiorē viam infra, nisi viam S. Crucis. » 3<sup>o</sup> Quomodo non curaverit, quid ab aliis ageretur, sed solus sui iudicis rationem habuerit juxta consilium Christi JOANN. XXI. *Quid ad te? Tu me sequere:* et juxta illud Th. Kemp. I. c. III. c. XXIV. « Fili, noli esse curiosus, nec vacuas gere sollicitudines. Quid ad te, utrum ille sit talis vel talis, aut iste sic, et sic agit vel loquitur? Tu non indiges pro aliis respondere, sed pro te ipso rationem reddes. Quid ergo te implicat! » 4<sup>o</sup> Quam constanter inter omnes tempestates, et pericula perrexerit,

semper se consolans felicitate termini et patriae, ad quam properabat, atque adeo sibi illud S. Pauli Rom. VII. in memoriam assiduō revocans: *Non sunt condigne passionēs hujus temporis ad futuram gloriam, quae retribuitur in nobis.* Excitandi proin Auditores ad comitandum illum per verba ejusdem pii Ascetae I. III. c. LVI. *Eia fratres pergamus simul, sequamur viriliter, nemo metuet terrores etc.*

VIII. Ex occasione thematis: *Militia est vita hominis super terram.* Jon. VII. ostendi potest, quam praecclare militis officio sit functus, qui obiit; et primo quidem, quomodo articulo militiae Christianae nempe decem praecepta Dei et quinque praecepta Ecclesiae studiose observavit, illudque S. Davidis Ps. CXVIII. assidue in mente habuerit: *Juravi, et statui custodire iudicia justitiae tuae.*  
 2<sup>o</sup> Quam accurate illud S. Pauli II. TIM. II. observaverit: *Labora, sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit.*  
 3<sup>o</sup> Quam fortiter contra hostes certavit, in certamine ad finem usque perseveraverit: sicque cum veritate illud S. Pauli II. TIM. IV. usurpare poterit: « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de reliquo est mihi reposita corona justitiae, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex. » Excitandi Auditores ad gratulandam defuncto victoriam, animosque, illius exemplo ad paria certamina sumendos: serviet eum in finem pro epiglo pulcherrima illa S. Chrysost. sententia de SS. Mart. « Unde tu Christiane delicatus es miles, si putas, te posse sine pugna vincere, sine certamine triumphare. Exerce vires, fortiter dimica, atrociter in praelio isto concerta. Considera pactum, conditionem attende, militiam nosce. Pactum, quod spondisti. Conditionem, qua accessisti. Militiam, cui nomen dedisti. »

IX. Ex occasione thematis: *Euge serve bone et fidelis.* MATTH. XV. ostendi potest, quod veri et fidelis servi conditiones impleverit defunctus. Et 1<sup>o</sup> quidem quam fideliter expleverit voluntatem Domini sui, ita ut de eo dicere posset Deus illud Ps. LXXXVII. et Act. XII. *Inveni servum meum, verum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* 2<sup>o</sup> Quam fideliter talenta duo sibi concredita, corporis scilicet et animae vires, expendit, et lucratus sit cum illis alia duo talenta, charitatem scilicet Dei et proximi.

3<sup>o</sup> Quam fideliter vigilaverit, et adventum Domini sui expectaverit, habens succinetos lumbos per continentiam seu declinationem a malo, et lucernas ardentes in manibus per fervidam et constantem operationem boni. Adhortandi AA. ut discant a defuncto servire Deo, ut cum eo olim audire possint pariter: *Euge serve bone et fidelis, quia in pauca, etc.*

X. Ex occasione thematis: *Voca operarios, et redde illis mercedem.* MATTH. XX. ostendi potest: quam sedulo laboravit defunctus in vinea Domini 1<sup>o</sup> Eam fodiendo, per humilitatem ad infima semper tendentem. 2<sup>o</sup> Plantando vites potentiarum et appetituum suorum. Atque inutilia germina hoc est, desideria et actiones vanas amputando per mortificationis studium. 3<sup>o</sup> Alligando stipiti crucifixi Christi per veram patientiam imitationem illius. Hortandi Auditores, ne videant, ut alii operarii Evangelici, quod jam acceperint suum denarium, sed potius, et gratulentur, et ut cum eo olim et ipsi suam mercedem accipere mereantur, ejusdem in hac via laboris sedulitatem imitari student.

XI. Ex occasione thematis: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* LUC. XXII. ostendi potest, quam fidelis Dei amicus fuerit defunctus. Eum in finem exponi possunt variae tentationes mundi, carnis, et Diaboli juxta illud S. JOAN. I. c. II. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum et vitae superbia.* Dein ostendi potest, quam constanter in iis tentationibus adhaerit Deo, usurpans illud S. Pauli Rom. VII. *Quis me separabit a charitate Dei?* Tandem explicari poterit, quomodo Deus huic amico disposuerit, ut edat, et bibat in regno caelorum; unde affectus gratulationis et desiderium similis amicitiae excitandum.

XII. Ex occasione thematis: *Justi fulgebunt sicut sol.* MATTH. XIII. ostendi potest, quomodo defunctus etiam justus fuerit, et ut sol fulserit, dum videbatur parvus hominibus, in se autem et coram Deo valde magnus fuit juxta illud pii Ascetae I. I. c. III. *Vere magnus est, qui veram charitatem habet; vere magnus, qui in se parvus est et pro nihilo omnem culmen honoris ducit.* 2<sup>o</sup> Ut sol alios calefacere calore charitatis, illuminari vero per lucem doctrinae, et honorum exemplorum. 3<sup>o</sup> Ut sol celerissime, id est, cum magna alacritate ac fervore zodiacum, id est terminum actionum sibi a Deo praescriptarum percur-

rerit, neque extra semitam vocationis et status sui exerrarit. 4<sup>o</sup> Ut sol per interpositionem terrae nunc eclipsum passus sit, sed suo tempore jucundius fulsurus. Excitandi ad hanc eclipsum Auditores bene considerandam. Atque ad dolentiam tantisper ostendendam, donec iterum fulgere incipiat.

XIII. Ex occasione thematis: *Non est vir in domo sua, abiit in regionem longissimam.* PROV. VII. ostendi potest 1<sup>o</sup> Quod quivis homo tres habeat domos, mundum, materialem suam domum, et corpus juxta illud APOST. II. Cor. V. *Scimus enim, quoniam si terrestri domus nostra hujus habitacionis dissolvatur, tunc jam autem post mortem verum sit dicere: Non est in domo sua, quoniam omnes tres deseruit.* 2<sup>o</sup> Quod per viam abiit longissimam, per viam scilicet aeternitatis. Sed cur? *Accipere sibi regnum,* ut LUC. XIX. dicitur, *et reverti.* Ita enim nobis persuadet, quod 3<sup>o</sup> Sacculum pecuniae secum tulit, hoc est, virtutes et bona opera sua juxta illud Ap. XIV. « Opera enim illorum sequuntur illos. » 4<sup>o</sup> Quod in die plena lune reversurus est in domum suam, id est, in die iudicii, quia tunc apparebit omnia. Hortandi ergo Auditores, ut non nimis luceant abumetum, sed potius gratulentur, et, ut aliquando simile regnum queant acquirere, interea insignem sacculum pecuniae preparant per bonorum operum constants exercitium.

#### Pro mulieribus.

I. Primo pro his speciatim. Ex occasione thematis: *Mulierem fortem quis inveniet.* PROV. XXXI. ostendi potest, quam fortis fuerit defuncta. 1<sup>o</sup> In vincenda seipsa, de qua victoria Thom. Kemp. I. I. c. II. loquitur: « Quis habet fortius certamen, quam qui militat vincere seipsum? » Et iterum I. III. c. V. « Perfecta victoria est, de semetipso triumphare: qui enim « semetipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, et ratio in cunctis obediat, mihi hic vere victor est sui, et Dominus mundi. » 2<sup>o</sup> In vincendis adversitatibus juxta illud PROV. XVI. *Melior est patiens viro forti.* In vincendo mortis timore juxta illud I. Cor. XV. *Absorpta est mors in victoria: ubi est mors victoria tua? Ubi stimulus tuus? Stimulus autem mortis peccatum est!* Quem proin confregisse ostendat mortua per perfectam peccato-

rum confessionem, et alia media. Laudetur proin juxta illud Prov. xxxi. *Surrexerunt filii ejus et beatissimam prædicaverunt: vir ejus, et laudavit eam.*

II. Ex occasione thematis: *Confidit in cor riri sui, et non indigebit spoliis.* Prov. xxxix. ostendi potest, quam bene administravit familiam, ut maritus nullam pene sollicitudinem habere debuerit. Et 1<sup>o</sup> quidem, quod confusus sit in ejus vitæ honestate? Quia ante omnia quæsit regnum Dei, justitiam ejus, ac propterea effecit, ut omnia necessaria Deus copioso submitteret. 2<sup>o</sup> Quod confusus sit in ejus peritia et prudentia economica, qua etiam per laborem et industriam suam ipsi marito et domesticis sollicitè cibos et alia necessaria providit, juxta illud: *Reddes ei bonum et non malum omnibus diebus vite sue.* Prov. xxx. 3<sup>o</sup> Quod confusus sit in ejus prudentia familiæ gubernativa, qua ita liberos et famulos direxit, et instruxit, ut simul in virtute et scientiis, vel bonis artibus proficerent; sique dici posset, quod omnes ejus Domesticis vestiti essent duplicibus. 4<sup>o</sup> Quod sit confusus in amore conjugali ipsius, quo omnes ejus molestiæ et labores non parum sunt relevatae. Nam duo boves cum concordia et quiete jugum portantes, non leve sibi laboris levamen conciliant. Hortandi ergo Auditores, ut laudent cum viro illius defunctam, atque ut has tanto certius obtineant, ipsi vicissim pro ea orent.

III. Ex occasione thematis: *Quæsit lanam et linum.* Prov. xxxi. commendari potest singularis industria defunctæ, et 1<sup>o</sup> ostendi, quomodo in sensu litterali quæsit lanam et linum, id est, domi suæ manserit, atque ad otium vitandum familiarque sustentandam honesto se labore occupavit. Secuta consilium S. Hieron. Demetriadi datum: « Habeto lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito, vel ad torquenda subtegmina in alveolis » fusi vertantur; et sic operata sit consilio manuum suarum; id est, cum prudentia eligens labores potius utiles, quam occupationes vanas et noxias aliarum mulierum morem sectando. 2<sup>o</sup> Quomodo in sensu spirituali quæsit lanam et linum, nempe juxta explicationem S. Aug. ser. xii. de temp. sic loquens: « Quid est lana, quid est linum? Lana carnale aliquid, linum vero spirituale aliquid significat, quia in ordine vestimentorum interiora sunt linea vestimenta, lanea vero ex-

teriora. Lana etiam de commixtione animalium nascitur; linum vero sine carnis voluptate generatur de terra, imo castitatis imaginem præferre videtur in tantum, ut Sacerdotes veteris testamenti ex præcepto legis propter castitatis iudicium, lineis femoralibus uterentur: » Ostendendum proinde quomodo utraque quæsierit defuncta, et propterea collaudanda.

IV. Ex occasione thematis: *Facta est quasi navis initoris de longe portans panem suam.* Prov. xxxi. ostendi potest, quam bene officia matris familias obierit. 1<sup>o</sup> Excipiendum omnes domesticos materno affectu et sinu, ut navis eos, qui vehuntur in ea. 2<sup>o</sup> Omnes fluctus adversitatum pro iis sustinendo fortiter et constanter, ut navis procellas. 3<sup>o</sup> Portans panem quotidianas necessitates de longe, id est, de celo precibus suis et industria copiosam a Deo benedictionem obtinendo. Hinc excitandus Auditor, ut cum domesticis exurgat in laudes illius, beatissimam prædicet.

V. Ex occasione thematis: *Gustavit et vidit, quia bona est negotiatio ejus.* Prov. xxxi. ostendi potest, quam bene negotiata sit defuncta. 1<sup>o</sup> Quia honesto semper labore utilique occupata erat, hinc emit agrum, et plantavit vineam de fructu manuum suarum. 2<sup>o</sup> Quia diligenter laboravit, et bene, nam accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum. 3<sup>o</sup> Quia constanter laboravit, etiam in nocte tribulationum, non permittens, ut sua vigilantia et industria, quæ per lucernam intelligitur, ob varias difficultates et adversa intermitteretur. Hinc merito gratulationem et amorem promerita censenda est.

VI. Ex occasione thematis: *Manum suam misit ad fortia, et digiti ejus apprehenderunt fusum.* Prov. xxxi. ostendi potest, quomodo artem nendi spiritualiter exercuerit, etc. 1<sup>o</sup> quidem colum, qui per *fortia* juxta interpretes passim intelligitur, ex optima et tenerima materia compositum apprehenderit, id est, in bonis et honestis actionibus semper occupata fuerit, otii gravissima hostis. 2<sup>o</sup> Suos digitos in fusum torserit, id est, per intentionem bonam effecerit meritoria. Ita S. Augustinus explicat his verbis: « Digiti hujus manus omnes electi, qui apprehenderunt fusum, id est, rectitudinem intentionis, per quam omnia opera quasi ficta in orbem æternitatis retorqueatur: » et infra: « Per colum significatur vita temporalis, per fusum

intentio boni operis; colus quidem in sinistra positus et fuso lana per linum in dexteram retorquetur, quod est recte nare. Hoc autem sit, quando temporalia et humana sic exerceant, ut per bonam intentionem quasi in filum ducta ad æterni spiritualisque meriti conditionem transeant. » Hinc iterum gratulatio et imitationis studium excitandum.

VII. Ex occasione thematis: *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.* Prov. xxx. potest commendari singularis misericordia defunctæ quam tum erga viventes, tum erga defunctos ostendit, inde probari, quod merito spes concipiatur de illius salute, quamque vicissim sit digna, ut si forte ope adhuc indigeat, sua quisque ad eam manus ac palmas extendat.

VIII. Ex occasione thematis: *Non timebit domui suæ a frigoribus nivis, omnis enim domesticus ejus vestiti sunt duplicibus: ostendi potest, quomodo ipsa primum sibi, postea et domesticis vestem duplicem providerit, de qua Hugo sic loquitur: « Duplex est vestis, hyemalis et æstivalis; vestem hyemalem dico virtutes, quibus protegimur contra pluviam et grandinem tentationum, et persecutionum. Ejusmodi sunt patientia, mansuetudo, humilitas et alia id genus; æstivalem dico virtutes, quibus tempore pacis et tranquillitatis vacatur bonis operibus, et contemplationi, qualis est charitas, pietas, devotio, sapientia; » quæ omnia tum ipsa defuncta, tum a domesticis quomodo observata sint, succincte potest ostendi. Aliqui per vestem duplicem bona presentia et futura vite, vel etiam gratiæ et gloriæ intelligunt.*

IX. Ex occasione thematis: *Stragulatam vestem fecit sibi. Byssis et purpura indumentum ejus.* Prov. xxxi. ostendi potest, quomodo imprimis defuncta sibi fecerit vestem stragulatam, id est, diversis figuris, coloribus, licis variegatam sive per texturam, sive per acus picturam; per quam varietas virtutum; puta modestiæ, verecundiæ taciturnitatis, humilitatis, charitatis intelligitur. 2<sup>o</sup> Quomodo byssus, id est, tela ex pretiosissimo lino confecta, qua singularis animi, corporisque puritas indicatur, fuerit indumentum ejus. 3<sup>o</sup> Quomodo etiam purpura, id est, sanguine Christi, et proprio per insignem patientiam se vestierit; unde hortandi Auditores, ut, sicut olim Elias in coelum vectus Elisæo pallium reliquit, ita a defuncta ipsi hæc vestimenta relinquere cupiant.

X. Ex occasione thematis: *Fortitudo et*

*de cor indumentum ejus, et ridebit in die novissimo.* Prov. xxxi. ostendi potest 1<sup>o</sup> quomodo per decorem exteriorum seu modestiam, in oculis, fronte, labiis, manibus, pedibus observari, ita ut de illa dici posset illud S. Ambrosii de B. Virgine prolatum elogium: « Virgo erat corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parior, legendi studiosior: nil torvum in oculis, nil in verbis procax, nil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incensus solutor, non vox petulantiior, ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura prohibitæ. » 2<sup>o</sup> Quomodo etiam fortitudinem inderit ad tolerandam, ut Beda explicat, perversorum ipsam irriditum et persecutum inprobritatem, unde ridebit in die novissimo, quando sensiet verificari, quod Christus MATTH. cap. vi. promisit: *Beati, qui persecutionem patientur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum celorum:* quando irrisores errorem suum agnoscent, et dicent illud Sapient. v. *Nos insensati vilam illorum æstimabimus insaniam.* Adhortanda mulieres, ut faciant secundum exemplar.

XI. Ex occasione thematis: *Os suum aperuit sapientiæ, et lex clementiæ in lingua ejus.* Prov. xxxi. ostendi potest, quod artem, quæ apud mulieres raro reperitur, defuncta optime calluerit, scilicet artem loquendi, quæ in duobus præcipue consistit. 1<sup>o</sup> Ut sapienter aperiat os, id est, ut, sicut Eremita quiddam cellæ suæ ostio inscripsit hæc verba: *Necessitas, utilitas, charitas,* indicans non apertum iri hoc ostium nisi una ex istis tribus causis cogeret; ita et os non aperiat, nisi ob unam ex dictis causis, quarum defectu plerumque mulieribus occini potest illud Job c. ii. *Quasi una de stultis mulieribus locuta es.* Defuncta autem potius illud S. Mechtildis elogium, quod in vita c. v. legitur, dari poterat: « Servabat silentium, ut eam mutam putares; si loqueretur, tanta id gratia faciebat, ut cum Angelo te colloqui putares. » 2<sup>o</sup> Ut mansuete et charitative quis loquatur, ubi iterum plerumque deficient mulieres, de quibus Eccl. c. xxv. *Non est ira super iram mulieris.* De defuncta autem illud S. Damasceni Orat. i. de Nat. dici poterat: « Sermo ejus jucundus ex leni anima progrediens: » et, ut Sponsus CANT. iv. dixit: *Favus distillat labia tua: mel et lac sub lingua tua.* Itaque hæc ars singulariter omnibus, sed præcipue mulieribus commendanda.

XII. Ex occasione thematis: *Consideravit semitas domus sua, et panem otiosa non comedit*: ostendi potest, quam inimica fuerit otio defuncta utpote quod vel maxime dedecet mulieres, easque in precipitium omnium vitiatorum deducit. 2° Explicari possunt labores, praeipue in cura domus suscepti. Haec enim cura propria convenit uxori, uti Aristoteles lib. I. de re famil. c. III. his verbis indicat: Divina Providentia utriusque natura, viri scilicet, et mulieris ordinata est ad societatem; alterum enim robustum fecit, alterum imbecillius. Hoc quidem ob timorem cautius; illud propter fortitudinem pugnantius; et hoc quidem, ut foris suppedicaret, quae necessaria sunt; illud autem intus eadem conservaret. » Hinc posset dici, eam observasse doctrinam ab amico quopiam alteri male familiam administranti datam, dum ei pyxidem obtulit, quae schedam haec verba habentem continebat: *Wilstdaff dir dein Sack wohl geling? sib al. Tag fleissig zu dein Ding*. Et hanc pyxidem quotidie tota in domo circumferre eum jussit, quod ubi is fecit, haud exiguum rei domesticae augmentum advertit. Dicendum in fine hanc pyxidem omnibus mulieribus a defuncta pro sui memoria habenda relictam.

XIII. Ex occasione thematis: *Surrexerunt filii ejus, et beatissimam predicaverunt: vir ejus, et laudavit eam*. Prov. XIII. ostendi potest, quam bene matrisfamilias munus defuncta obierit, 1° Liberos bene educando; unde illi surgentes, id est, crescentes in sapientia, retate et gratia apud Deum et homines, beatissimam ipsam opere ipso predicaverunt, juxta illud Prov. XV. *Filius sapiens laetificat patrem: stultus homo despiciat matrem suam*. Ergo sapiens honorat eam. 2° Familiam bene gubernando, id est, cum amore juxta illud S. Hieronymi ad Celantiam: « Familiam tuam ita rege, et confove, ut te matrem magis tuorum, quam dominam videri veis, a quibus benignitate potius, quam severitate exigit reverentiam; fidelius et gratius semper obsequium, quod ab amore, quam quod a metu proficitur. » 3° In marito colendo et amando juxta monitum ejusdem S. Hieronymi: « Praecipue autem in conjugio venerabili atque immaculato Apostolicae regulae ordo teneatur. Servetur imprimis viro auctoritas tolaque a te discat domus, quantum illi honoris debeat. Tu illum dominum tuo obsequio, tu magnum illum tua humilitate demonstra, tanto ipso honoratio

futura, quanto illum amplius honoraveris. Caput enim, ut ait Apostolus, mulieris est vir, nec aliunde magis reliquum corpus oritur, quam ex capitis dignitate. » Unde monendi Auditores, ut et ipsi surgant, et collaudent illam.

XIV. Ex occasione thematis: *Multae filiae congregarunt divitias, tu supergressa es universas*. Prov. XXXI. dici potest 1° Quomodo congregaverit veras divitias, de quibus S. Bernardus ait: « Fratres, si divites esse cupitis, veras divitias amate; sola autem verae opes sunt, quae nos virtutibus divites efficiunt. » 2° Quomodo in hoc superaverit antiquas mulieres a variis donis laudatas: Estherem in pulchritudine, Juditham in fortitudine, Abigail in prudentia, Liam in fecunditate, Annam Samuelis matrem in pietate. Hinc congratulandum illi ob tales divitias et ad similes comparandas Auditores excitandi.

XV. Ex occasione thematis: *Fallax gratia et vana est pulchritudo, mulier timens Dominum ipsa laudabitur*. Prov. XIII. ostendi potest quam parum non defecerit defuncta pulchritudinem corporalem, et potius interna pulchritudinis rationem habuerit, assidue in mente gerens sententiam hanc: *Fallax gratia et vana est pulchritudo*: quam quidam sic vernaculo sermone et metro expressit:

« Gantz eilt ist Ehr, lieb, und Gunst,  
Die Schönheit ist ein blauer Dunst,  
Allein das Weib, das lobet Gott,  
Zu loben ist vor und nach dem Todt. »

2° Quomodo timorem Domini habere studeat ipsa, declinando a malo seu peccato, et faciendo bonum, id est, mandata Dei adimplendo, et etiam liberos suos eandem docuerit, dicens ad quemvis illorum ea S. Tobiae cap. IV. verba: *Noli timere, fili mi, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timerimus Deum, et recesserimus ab omni peccato, et fecerimus bene*. Itaque excitandi Auditores, ut et ipsi eam laudent.

XVI. Ex occasione thematis: *Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus*. Prov. XXXI. ostendi potest 1° Quomodo jam in caelis fructum operum suorum receptura sit juxta illud Ps. CXXV. *Labores manuum tuarum manducabis. Beatus es, et bene tibi erit*. Commendari autem

hi fructus ejus possunt a bonitate substantiae, raritate circumstantiae, seu qualitatis, et maturitate perseverantiae; sine his tribus enim fructus pretiosus non aestimatur. Respondent autem etiam in premio tria similia gaudia, scilicet gaudium accidentale ex variis objectis erga Deum proveniens: gaudium substantiale consistens in visione beatifica: gaudium aeternale, id est, ex securitate durationis aeternae oriturum. 2° Quomodo in portis, id est, post mortem, et in die iudicii proprie laudanda sit, quia ante mortem nec dum securi sumus de perseverantia. Hinc Eccl. XI. c. dicitur: *Ante mortem ne laudes quemquam*. Excitandi proin iterum Auditores ad laudem et gratulationem fructuum.

## FONS II.

## Ex signis predestinationis.

Ex hoc fonte varii admodum modi pro funebribus exhortationibus erui possunt, sed duo praecipue, nempe ut signum predestinationis, vel sub schemate alicujus comparationis, v. g. cum instrumento, via, flore, arbore, frumentoque proponatur, vel simpliciter proferatur, et postea breviter ostendatur, quam tale signum singulari quodam modo in defuncto constanter fuerit reperiunt, unde plerumque Auditores ad gratulationem, et imitationem in tali signo procurando sunt excitandi. Petendo tamen in fine etiam preces, si adhuc indigeret, pro quibus omnibus copiosam materiam hic fons afferet.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Tibi dabo claves Regni caelorum*. MATTH. XVI. ostendi potest, quod defunctus ad imitationem illius sartoris e Soc. Jesu, qui in morte acum suam peliit, eamque in altum elevans dixit, hanc nunc esse clavem, per quam speret se regnum caelorum aperturum et ingressurum, instrumentum illud quo in officio suo vel officio usus est, pro sua clave usus sit, eo quod opera sua omnia propter Deum perfecit. Unde dici potest tria in clave reperi, quae suo modo in opere bono etiam reperiuntur. 1° Ut sit rotunda figurae, quo significatur perfectio et bonitas operis. 2° Ut habeat vacuitatem, alicui enim inferi januae non possit; qua vacuitate significatur carentia peccati seu status gratiae, in quo opus fieri debet. 3° Ut applicetur januae, quod sit per intentionem bonam, per hanc enim opus cum

regno caelorum, propter quod elici solet, conjungitur.

II. Ex occasione thematis: *Qui me invenierit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino*. Prov. VIII. ostendatur defunctum, per viam lacteam, id est, per B. Virginis cultum, et patrocinium ad caelum pervenisse. Hinc 1° ostendi poterit, quam merito B. Virg. viae lacteae comparetur, ut quae ex innumeris stellis, id est, virtutibus composita est, et propter summum candorem puritatis tam corporalis, quam spiritualis candicans appareat. 2° Quomodo per eam tanquam viam certissimam facillime quisque veniat ad terminum optatae beatitudinis. 3° Quomodo defunctus colerit et honoraverit hanc SS. Virginem; per magnam de illa aestimationem, filialem fiduciam, et quotidianam devotionem per Rosarium aliasque similes preces et obsequia demonstratam.

III. Ex occasione thematis: *Intrate per angustam portam*. MATTH. VII. dici potest defunctum per portam humilitatis intrasse in caelestem civitatem (durch das Einlass Thor). Itaque 1° ostendatur, humilitatem esse certum signum predestinationis juxta illud Christi eflatum, MATTH. II. *Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris*. 2° Ostendatur, quomodo defunctus exerceat se constanter in hac virtute, vilipendendo seipsum, et contemptum patienter ferendo, sed et de operibus nil sibi, sed omnia Deo attribuendo, Vide Drex. in ZOD. SYMB. VI. I.

IV. Ex occasione thematis: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, et sequatur me*. LUC. IX. ostendi potest 1° Viam crucis esse rectissimam, certissimam, et securissimam ad caelum, juxta illud Christi LUC. XXV. *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?* Quomodo defunctus eam ambulavit, dum tribulationes varias tam patienter, alacriter et constanter pertulit, qui sunt tres gradus perfectae patientiae. Vide Drex. ZOD. SYMB. VIII.

V. Ex occasione thematis: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum* (intellige per affectum charitatis) Ps. CXXVII. ostendi potest primo quam certa sit haec via juxta illud Christi MATTH. XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; quam trita, quia omnes Sancti per eam in caelum intrare debuerunt; juxta illud I. JOAN. V. *Haec est charitas Dei, ut mandata ejus cus-*

*totiamus*; quam *jucunda*, juxta illud PSAL. XVIII. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo. Quam plana et facilis*, juxta illud S. JOAN. I. XV. *Et mandata ejus gravia non sunt.* Hinc ipse invitavit MATTH. XI. *Tollite jugum meum super vos.* Quomodo defunctus non tantum ambulaverit per hanc viam, sed ecurrerit, id est, magnam alacritatem et fervorem semper in mandatis Dei observandis ostenderit, quod quidem per aliquot exempla, præcipue mandata dilectionis Dei et proximi demonstrari potest. Vid. Drex. Zod. SYMB. XI.

VI. Ex occasione thematis: *Ambules in via bona: et calles justorum custodias.* PROV. II. ostendi potest contigisse defuncto adhuc in vita existenti, quod discipulo S. Benedicti evenisse legitur, dum post mortem ejus divus iste in via florida et amœna consistens apparuit, simulque hæc vox audita est: « Hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus caelos ascendit; » atque adeo probari potest, 1º quam bona et certa sit via illa, per quam Sanctus ille, quem defunctus ratione status sui vel alterius causæ in Patrum principalem elegit, et singulari studio coluit, in caelos ascendit. 2º Quomodo in via illius ambulaverit, per varias virtutes, quibus Sanctus ille specialiter ornatus fuerat, et defunctus pro viribus imitari studuit, demonstrari potest.

VII. Ex occasione thematis: *Ecce ego sepiam viam tuam spinis.* OSER. III. ostendi potest, viam ad caelos spinosam esse, quia *Per nullas tribulationes oportet introire in Regnum Dei.* ACT. XIV. Hinc S. Catharina Senensis spinosam potius, quam auream coronam a Christo oblatam elegit. 2º Quam constanter et alacriter defunctus per hanc viam inceserit, et expertus sit, quod quondam Christus S. Gertrudi ostendit, dum eundem in specie parvuli in via spinis obsita apparuit, et præeundo, parvaque cruce spinas removendo, sequi eam jussit indicare scilicet volens, se sua passione potiore tribulationum perpetiendarum difficultatem removisse: « Non enim sentit sua vulnera miles, qui Ducis sui vulnera intuetur. » Vid. Drex. in Zod. SYMB. XII.

VIII. Ex occasione thematis: *Ego sum via, veritas, et vita.* JO. XIV. ostendi potest, Christum esse viam regiam, quam ipse Pater celestis ostenderit dicens MATTH. XVII. « Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. » Et JOAN. XXX.

« Hæc est via, ambulate in ea, et non declinetis ad dexteram neque ad sinistram. » 2º Quomodo defunctus hanc viam ambulaverit per imitationem Christi: in pueritia per devotionem, et innocentiam: in adolescentia per profectum in variis artibus et obedientiam: in virili ætate per strenuam operationem ad majorem Dei gloriam, et per generosam ac constantem patientiam.

IX. Ex occasione thematis: *Quis ascendit in montem Domini? Aut quis stabit in loco sancto ejus?* PSAL. XXXII. ostendi potest 1º Jerusalem caelestem in alto monte sitam; hinc Christus transfigurare se, beatitudinemque Sanctorum monstrare volens, duxit Discipulos in montem excelsum valde, et ob eandem causam dixit, quod *Regnum caelorum vix patitur, (viel schnauffens Koste) et violenti rapiunt illud.* MATTH. II. 2º Quomodo defunctus ascenderit hunc montem, quia observavit conditiones in eodem Psalmo ad questionem datas, et fuit *innocens manibus* (id est, operibus) *et mundo corde, et non accepit in vano animam suam,* sed potius solidas virtutes et gaudia sectatus est. Hinc accepit benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari suo.

X. Ex occasione thematis: *Ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, et quadraginta noctibus usque ad montem Horeb.* III. REG. XIX. ostendi potest, varios esse modos perveniendi ad caelos. Alios pedibus, alios equo aut curru eo tendere, defunctum autem peditem ambulasse cum Elia ad montem Horeb, id est, visionis Dei. Cum autem in tota vita et præcipue in morte, difficultate itineris defatigaretur, etiam ipsi a suo Angelo Custode et spiritalibus Patribus vel Concionatoribus dictum esse: *Surge, et manduca; magna enim tibi restat via.* Ideoque tam sollicite et diligenter, tum in vita frequenter, tum præcipue in morte per modum viatici pane candidissimo Angelorum fuisse refectum, unde non dubitandum esse, quin in fortitudine illius ambulaverit usque ad montem Dei; qui enim manducat digne hunc panem, vivet in æternum. Drex. Zod. SYMB. III.

XI. Ex occasione thematis: *Sufficit tibi gratia mea.* COR. XII. dici potest contigisse defuncto, quod S. Paulo defatigato in certamine, unde eum perinde in itinere ad caelum fatigatum auxilium petisse, et audivisse a Deo: *Sufficit tibi gratia mea,* quia, ut Thom. Kemp. I. II. c. IX. ait: « Satis suaviter equi-

tat, quem gratia Dei portat. » Unde primo ostendatur, quomodo suaviter et secure ad caelum tendat, qui bonam conscientiam habet, et in gratia Dei constitutus est, quia « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et: Quis ascendit in montem Domini? Innocens manibus, et mundo corde. » 2º Ostendatur, quam diligenter et ferventer defunctus sua peccata detestatus sit, et per confessionem delere studuerit, sed et alia media ad gratiam recuperandam et conservandam necessaria adhibuerit. Drex. Zod. s. x.

XII. Ex occasione thematis: *Ecce currus igneus et equi ignei diviserunt utrumque.* IV. REG. c. II. Dici potest, quod defunctus per currum igneum charitatis Dei et proximi, et per equos quatuor igneos, id est, virtutes quatuor morales, prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam a perfecta charitate inflammatis in caelum abierit, quæ omnia per partes demonstranda.

XIII. Ex occasione thematis: *Levavit eum ad se in currum.* IV. REG. x. v. 43. Primo dici potest, defunctum a Jehu, quod nomen idem significat, ac *ipse existens*, atque adeo Christo propter Deitatem recte convenit levatum esse in currum obedientiæ; ita enim eum comparabat S. Dorotheus dicens: Eos, cui secundum proprium arbitrium vivunt, cruces suas manibus aut humeris portare; eos autem, qui sub obedientia vivunt, in curru vehi, et cruces juxta se positas, simul secum sine onere vehere. Ostendatur ergo 1º quam bona et jucunda via ad caelum sit obedientia, cum ipse etiam Christus hanc viam præcipue verbo et exemplo suaserit, obediens factus usque ad mortem crucis. 2º Quomodo defunctus hanc virtutem asseveravit, amaverit, et exercuerit.

XIV. Ex occasione thematis: *Quis mihi dabit pennas columbæ, et volabo, et requiescam?* PS. LIV. Dici potest secundum Thomam Kemp. I. II. c. IV. *duabus alis hominem sublevari a terrenis, simplicitate scilicet, et puritate.* Simplicitas debet esse in intentione, puritas in affectione. Simplicitas intendit Deum, puritas apprehendit, et gustat. Unde potest primo probari, quomodo hæc duæ alæ intentionis et puræ affectionis sint proprium et optimum medium ad caelum juxta illud commune adagium: « Quidquid agant homines, intentio judicat omnes, et omnis gloria filiae Regis ab intus. » PS. XLIV. 2º Quam studioso se in his duobus charitatis actibus exercuerit defunctus. Possunt eorundem

duarum alarum nomine etiam intelligi duo præcepta charitatis, Dei et proximi, juxta illud LUC. X. « Quid faciendo vitam æternam possidebo? Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua. Et proximum tuum sicut teipsum. » Vel sub eisdem alis intelligi possunt duo capita justitiæ Christianæ, de quibus David PS. XXXII. dixit: « Quis est homo, qui vult vitam, et diligit dies videre bonos? Declina a malo, et fac bonum: inquire pacem, et persequere eam. »

XV. Ex occasione thematis: *Regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* MATTH. II. ostendi potest defunctum imitatum fuisse duos generosos, qui civitatem expugnare volentes tormenta mortaria (*Morsel*) portis urbis applicant, itaque eas effringunt. Sic ergo et ipsum regno Dei, quod intra nos est, vim intulisse, dum seipsum et suas passiones generose vincere studuit, sicque verificavit illud Thomæ Kemp. I. I. c. XXX. « Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. » Enumeretur proin aliquot passiones, v. g. iræ, amoris inordinati, cupiditatis, fuge adversitatum et difficultatum; et ostendatur, quam generose eas superavit defunctus.

XVI. Ex occasione thematis: *Vidi in somnis scalam stantem super terram, et cacumen ejus tangens caelos.* GEN. XXVIII. dici potest varios varie hanc scalam interpretari, optimam videri opinionem, quæ ait, per eam intelligi scalam mandatorum Dei, de qua S. David. PS. XXXVIII. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco, quem posuit. Etenim benedictionem dabit Legislator: ibunt de virtute in virtutem; videbitur Deus deorum in Sion.* Et, ut S. Augustinus in PS. XXXVIII. ait: « Iter tuum voluntas tua, amando ascendis, negligendo descendis; et quanto plus amaveris, tanto plus ascendes; » ostendatur proin, quomodo defunctus per gradus hujus scale ascenderit. Potest etiam per scalam istam intelligi amor B. Virginis juxta visionem, qua Sanctus Franciscus vidit fratres suos a scala rubra, cui Christus insidebat, dejectos, et per albam, in ejus culmine B. V. apparuerat accelerantes, et facile ad caelum admissos.

XVII. Ex occasione thematis: *Qui se humilitat, exaltabitur.* MATTH. XXIII. dici potest, defunctum per cuniculos caelum expugnasse,

dum per humilitatem conatus est eos ingredi. Ostendatur proinde, quomodo humilitas sit optima via ad caelum, et quomodo eam defunctus exercuerit.

XVIII. Ex occasione thematis: *Multum valet deprecatio iusti assidua*. JAC. v. dici potest, defunctum corde suo pro scopeto, fervore pro igne, mortificatione et victoria sui pro pulvere, et globulis Rosarii pro globis usum contra hostes suos, et ipsum caelum expugnasse; nam teste ECL. xxxv. oratio humiliantis se penetrabit nubes, et donec propinquet, non consolabitur, et non discedet, donec Altissimus exaudiat; ostendatur ergo quam ferventer et frequenter his globulis usus sit, et quantam inde gloriam obtinuerit.

XIX. Ex occasione thematis: *Triticum autem congregat in horreum meum*. MATH. xii. probari potest, merito credi posse, quod defunctus sit in horreum caeleste receptus, eo quod ut triticum sit bene prius per tribulationes flagellatus (*ausgetroschen*) per sinceram confessionem cribratus (*gereutet*). Et a paleis purgatus sit. Si tamen, ut fieri priusque solet, adhuc aliquae paleae adherissent, a quibus in purgatorio igne purgandus sit, rogandi AA. ut suis precibus velut flabello has paleas removere conentur.

XX. Ex occasione thematis: *Omnis caro fanum et omnis gloria eius quasi flos agri*. ISA. xl. ostendi potest, quam praeclearus flos fuerit defunctus; quam amono colore variarum virtutum fuerit ornatus; quam copiosa folia honorum exemplorum progerminaverit, et quam gratum odorem optimi exempli reliquerit; et quamvis hunc ipsum mors abstulerit, id tamen non alio fine factum, quam ut in caelestis Paradisi hortum transplantaretur. Hinc letum in agone canere potuisse:

« Trutz Todt, Kommher, ich forcht dich nit,  
Trutz Komm, und thu ein Schnitt,  
Wirst du mich weg fretzen,  
Wird man mich versetzen,  
In Himmlischen Garten,  
Frey dich, schönes Blümelein. »

XXI. Ex occasione thematis: *Succidite arborem, et praecidite ramos eius: excutite folia eius, veruntamen germen radicem eius in terra sinite*. DAN. iv. dici potest defunctum fuisse similem arbori, quam Nabuchodonosor olim in somnis vidit. Nam primo fuisse arbo-

rem magnam et fortem. « Vere enim magnus est qui magnam charitatem habet, teste Thoma Kemp. I. I. c. iii. « Vere magnus est, qui in se parvus est, et pro nihilo omne culmen honoris ducit. » 2º Proceritatem ejus ad caelos contigisse, propter altissimam intentionem, quam omnibus operibus suis praefigere struderat. 3º Folia, id est, proposita, et desideria ejus pulcherrima, et fructus bonorum operum nimis bonos fuisse. 4º Sub ramis illius bestias et volucres, id est, bonos et malos habitasse, et solatium quaesivisse. 5º Ex ea vesci solitam universam carnem, quatenus per copiosam eleemosynam innumeros pauperes recreabat. Licet vero nunc morti dictum sit: Succidite arborem, et ramos, id est, vires corporis, praecidite folia, et fructus excutite; tamen etiam dictum esse: Veruntamen radicem germen ejus in terra sinite, scilicet spem resurrectionis et transplantationis in caelestem Paradisum; quare etiam se per modicum tempus ea carere debeant, qui haecenus sub ramis ejus habitabant, tamen per spem hanc solari se debent, quod suo tempore iterum hanc arborem visuri, et tanto majori cum gaudio sint iterum fructuri, quanto longiori tempore ejus praesentia caruerunt; et quanto diutius ea fructu durabit.

XXII. Ex occasione thematis: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequuntur*. MATH. vi. dici potest, multa quidem signa esse praedestinationis, sed vix ullum esse misericordiae comparandum, ulpote de quo S. Hieronymus intrepide dixerit, non meminisse se, quod legerit, aliquem mala morte defunctum, qui libenter opera charitatis exercuit, eo quod multos habeat intercessores, impossibile autem sit, multorum preces non audiri, ut merito Tobias c. iv. hanc specialiter filio suo commendavit, dicens: « Quantum poteris, esto misericors: praemium enim bonum thesaurizas in die necessitatis; quoniam eleemosyna ab omni peccato, et a morte liberat, et non patietur ire animam in tenebras; fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna omnibus facientibus eam. » Itaque potest ostendi, quam liberaliter et constanter hanc virtutem exercuerit defunctus. Quamque adeo merito sperari de eo possit, quod non ierit in tenebras, sed bonam mensuram, coagitatam, confertam et superelluentem, qualem aliis dedit, etiam ipse iterum in sinum suum acceperit.

Nota, simili modo etiam aliae beatitudines

pro themate assumi, et defuncto applicari possunt, dicitque, virtutem talem in themate contentam datam esse a Deo quasi chirographum, quo ipsum de beatitudine obtinenda asscurarit.

## FONS III

## Ex motiis succurrendi.

Etiam iste fons copiosissimam offert materiam pro funebribus exhortationibus. Tot enim conceptus ex eo erui possunt, quot titulos in animalibus est reperire, quae ad misericordiam ipsi exhibendam incitare possunt, qui quidem tituli plurimi sunt, ut mox apparebit.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Esote misericordes, sicut Pater vester caelestis misericors est*. LUC. vi. ostendi potest 1º Quam grata sit misericordia aeterno Patri, ita ut Christus hujus exercitium specialiter commendavit, et Ecclesia dixerit, illi proprium esse misereri et parcere, quamque adeo gratior multo illi futura sit misericordia, quae filius ejus in igne purgatorii gravissime excruciatu praestabitur. Quis enim non credat, gratissimum obsequium Regi alicui praestitum eum, qui filium ejus dilectissimum in severissima Turcae captivitate detentum, crudelissimeque cruciatum suis sumptibus eriperet, Patrique suo restitueret? Cum ergo Pater aeternus suos filios infinitis magis diligat, quam pater corporalis, annon merito quoque creditur incomparabiliter gratius obsequium illi praestitum iri ab eo, qui ex captivitate longe graviori filios illius eripere studuerit? 2º Quotopere defunctus conatus sit esse verus filius aeterni Patris, servando mandata, tribuendo debitum cultum, et suos fratres propter Patrem diligendo, etiam inimicos juxta illud MATH. v. *Diligite inimicos vestros, et bene facite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in caelis est.*

II. Ex occasione thematis: *Quod fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis*. MATH. xxv. ostendi potest primo, quam gratum sit obsequium futurum Christo, si animam in purgatorio detentam quis liberet. Certe S. Gertrudi quondam dixit: Qui pro peccatoribus et animalibus purgantibus devote araverit, hoc tam diligenter acceptabo, ac si ad me in carcereatum crebrius invisendo, blandis con-

solationibus suis desolationem meam sublevasset, ut legitur Insinuat. I. IV. c. xvii. imo tam gratum, ac si me ipsum toto pro pretio a captivitate liberasset; et hoc ipsis indubitanter restitutum in tempore opportuno secundum omnipotentiam meae liberalissime pietatis, lib. V. c. xxxi. Inleratur ex hoc, quanta ex una parte ingratitudo sit futura, si quis Christo hoc obsequium tam facile praestabile ausus fuerit negare; et quantam ex altera parte spem concipere possit purgatorium evadendi, si prius illum toties eripere studuerit.

III. Ex occasione thematis: *Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle*: ostendatur 1º Quam B. Virgo specialis sit Advocata purgantium animarum. Nam ipsa S. Brigittae lib. VI. revel. dixit, nullam esse penam in purgatorio, quae non propter illam remissior fiat, et levior ad ferendum, quam alias fuisset. S. Robaldo Dominicano quoque Sacrificium pro defuncto ex familia offerenti animam in ulnis portans apparuit, et dixit: Vide amicum, pro quo Sacrificium Misere offers, uti. II. hist. Dominic. c. xiv. scribitur. Imo euidam S. Personae revelatum est, eam aliquoties per annum descendere in purgatorium, et innumeras animas liberare. 2º Ostendatur, cum clamor defuncti ad B. V. modum parum proficiat sit, quam conveniens sit, ut nos nunc ejus loco clamemus: « Ad te suspiramus gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo Advocata nostra, illos nos misericordes oculos ad nos converte, et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. » Quam libenter B. V. has preces exauditura sit, cum tantopere defunctus eandem dilexerit, et venerari studuerit.

IV. Ex occasione thematis: *Merito hoc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes angustiam anime illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus, idcirco venit super nos tribulatio*. GEN. xlii. ostendi potest 1º Quam crudele fuerit facinus fratrum Joseph, dum in cisterna clamantem fratrem non audierunt; et quoque crudeliter sit futurum, si fratrem nostrum spiritualem ex eodem Christi sanguine natum, non in cisterna, sed in purgatorio inter tormenta patimur clamare, nec exaudiamus; quam quidem immiserordiam patheticè S. Augustinus Serm. ad PP. in eremo describit, dum ait: « Cadit asinus, et omnes eum su-

blevare festinant : clamat porcus, et cum eo caeteri clamare non cessant; clamat inter tormenta fidelis, et non est, qui exaudiat. Ecce vestra inhumanitas! » 2º Ostendi potest quomodo illum extrahere possint AA. scilicet funiculum charitatis fraternæ eidem porrigendo, non verbo tantum aut lingua, sed opere et veritate demonstrata.

V. Ex occasione thematis : *Multi unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra.* Rom. xii. ostendi potest, quomodo quotidiana experientia testetur, quod, ut S. Paulus I. Cor. xii. dicit : *Si quid patitur, unum membrum, computantur omnia membra;* quam celeriter, si sinistram manum, vel aliud membrum ignis vel scintilla corripuit, dextra manus subveniat, et ignem removere studeat. 2º Potest inferri, quanto æquius sit, ut, cum omnes homines et Christiani præcipue sint membra ejusdem corporis, et quidem incomparabiliter præstantioris, mutuam sibi auxilium præstent, ignemque sevisimum purgatorii, si forte in membrum aliquod corripuit, dispellere studeant, simulque unum alterum medium suggeratur, ad ignem hunc extinguendum. Excitentur proinde Auditores, ad eam charitatem etiam defuncto tanto copiosius præstandam, quanto ætius iisdem per effectum charitatis et concordie in vita conjunctus esse studuit.

VI. Ex occasione thematis : *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job. xix. potest ostendi. 1º Quam graves sint pœne purgatorii, quod scilicet juxta S. Thomam minima pœna illius excedat maximam hujus vite; imo ut V. Beda loquitur, gravior sit purgatorii correctio, quam quicquid passi sunt latrones, vel SS. Martyres, vel quicquid gravissimum homo excogitare potest. 2º Ostendi potest, quam æquum sit, ut Auditores, qui ratione naturæ, religionis, et aliorum titularum merito amici dici possunt, opem ferant, quam nec cani, nec feli in ignem forte cadenti negarent; uti præclare S. Augustinus indicavit, dum dicit : « Cadit Asinus, et omnes eum sublevare festinant, clamat porcus, et ceteri cum eo clamare non cessant : clamant inter tormenta fidelis, et non est, qui adjuvet, ecce vestra inhumanitas. »

VII. Ex occasione thematis : *Et vos omnes, qui transitis per viam attendite, et videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Tm. iii. Ostendi potest. 1º Quam vere dicere possint

anime purgatorii, non esse dolorem suo similem. Id quod facile probari potest, tum tesimonio Doctorum, et SS. Patrum; tum etiam testimonio illius Monachi, qui, cum in mentis excessu vidisset tormenta purgatorii, reversus ad se dixit : « Nulla hominis lingua exprimeret, nulla æstimatio concipere potest varietatem, multipliciter, et gravitatem suppliciorum, quibus me aspiciente purgandi subdebantur. Testis mihi est Deus, quia si quis me et cunctos amicos meos affecisset omnibus injuriis et pœnis que possunt homini in hac vita irrogari, vel etiam occidisset, et viderem illum deputari tormentis a me conspectis, ego millies, si fieri posset mortem pro ejus ereptione subire paratus essem, adeo pœne illæ, quas in purgatorio vidi, excedunt mensuram et modum ejusvis doloris, angustie, amaritudinis, ac miserie hujus vite; verumtamen, qui ibi dire admodum cruciantur, paulatim ad tolerabiliora transeunt. » Ita Ludovicus Blossius in Monii. c. xii. 2º Ostendi potest, quod illi, qui transeunt per viam, sint morales hujus vite. Ipsi enim proprie adhuc sunt viatores. Ad hos nunc merito clamant anime, rogantque ut ad gravitatem pœnarum oculos animumque reflectentes, misericordie affectum concitare studeant. Hic enim proprie locum habet illud S. Davidis Psal. lxxviii. *In meditatione mea exardescet ignis, charitatis scilicet ad misericordiam impellentes.*

VIII. Ex occasione thematis : *Heu, mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Ps. cxix. ostendi potest. 1º Quam gravis efficiatur pœna purgatorii ex temporis diuturnitate, et desiderio videndi Deum. Potest hoc desiderium sibi comparari, que merito excedit omnia tormenta, uti dives Epulo testatus est, dum de hac sola questus est. Potest enim in finem exemplum afferri aperi illius qui optione facta per angelum, maluit tribus horis in purgatorio, quam tribus annis in lecto manere, sed hora vix elapsa ab Angelo visitatus, cum vix horam se insumpisset in purgatorio audivisset (licet ipse se multis annis ibi fuisse putarit) mutari petit pœnam; affirmavitque, se libentius trecentos annos in morbis, quam in Purgatorio pœnis horam consumere velle : uti in Spec. Exempl.

V. Infirmitas ex. vii. legitur. 2º Ostendi potest, quomodo, cum defunctus tanta sit cruciatus pœna, petat ab Auditoribus, ut extremum digiti intingant in aquam, id est, saltem

pauculas preces et opera pro ipso offerant, sique pœna illius relevent, quam autem durum sit, tam leve obsequium denegare.

IX. Ex occasione thematis : *Siliviti anima mei ad Deum fontem vicium, quando veniam, et apparebo ante faciem Dei.* Ps. xli. ostendi potest quam gravem pœnam sentiant anime purgantes ex dilatione beatitudinis, ita ut merito dicere queant cum David. Ps. xli. « Fuerunt mihi lacrymæ meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus? » Si enim Joannes Sanctus Sacerdos e Soc. Jesu adhuc in hac vita existens tanto ferebatur desiderio in Deum, ut fassus fuerit, si certo sciret, se aliquo die non moriturum, hanc scientiam sibi sufficientem fore ad vitam præ languore eripiendam; quantum dolorem et languorem credi par est, animas purgatorii sensuras, quæ hand dubie desiderio incomparabiliter majore feruntur in Deum extra, quam intra corpus. Inferatur proinde, quam æquum sit, ut, cum defunctus adhuc in hac vita existens desideria suorum amicorum cum tanto labore impleverit, nunc et ipsi vicissim ipsius appetitum tanto cilius perfectiusque satiare studeant, quanto leviori labore ad hunc finem est opus.

X. Ex occasione thematis : *Qui pronus est misericordiam, benedictur, de panibus enim suis dedit pauperi.* Prov. xii. ostendi potest, commune esse proverbium Germanorum : « Kirchen geben versauet nicht, ungerecht Buth bereicht, Almosen geben erarmet nicht. » Hinc Salomon Prov. xii. dixit : « Alii dividunt propria, et ditiores fiunt; alii rapiunt non sua, et semper in egestate sunt. Qui dat pauperi, non indigebit. » Id suo exemplo testatus est Erdicius civis Romanus, qui cum famis tempore quadringentos mendicos nutritivisset, et fame cessante omnes curibus in patriam reveli jussisset, audivit a Deo : « Erdici, ex hac die non deficiet tibi et semini tuo panis in æternum. » Spec. Exempl. dist. ix. ex. 130. Unde inferri potest multo magis hanc benedictionem sperari posse ab iis, qui misericordiam erga purgantes animas præstiterint, suisque operibus effecerint, ut ab Angelis in celestem patriam deportarentur. Quare adhortandi Auditores, ut, quandoquidem tam præclaram habeant occasionem, similem misericordiam erga defunctum exercendi, eam non negligant, sed certo sibi persuadeant, defunctum non modo spiritualia, sed etiam temporalia bona illorum

de celo plus deinceps precibus suis promoturum, quam in terris vivus fecerat.

XI. Ex occasione thematis : *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Luc. vi. dici potest, nonquam magis necessarios habere Patronos, quam in hora mortis et judicii, quia ibi agitur de æterna felicitate vel acquirenda, vel amittenda. 2º Probari potest non esse fideiorem amicos, quam animas et purgatorio liberatas, ut quæ agnoscant magnitudinem collati beneficii, nec desitituras sint, donec etiam liberatorem suum eo perducant. Hinc aliquando et somno aliquem excitatum, moneruntque, ut cito confiteretur qui post confessionem subita morte mortuus est, Sed et de alio scribit P. Stephanus Binellus in I. de statu anim. c. i. Quod, cum in agone multum angustia-retur ob timorem judicii, subito aer se aperuerit, et decem milia candidissimorum Equum ad ipsum descenderint, dixerintque : « Bono animo esto, vir bone. Nam ad te venimus, ut in hoc ultimo et periculo certoamine tibi assistamus, cumque ille præ gaudio in lacrymas resolutus quereretur, quando tam insperatam gratiam fuisset promeritus? » Responderunt illi, se esse animas ipsius precibus et auxilio redemptas, atque adeo acceptum beneficium nunc compensare velle. Itaque excitari possunt Auditores, ad ipsum etiam defunctum sibi amicum faciendum, ut eum suo tempore consolatorem habere possint.

XII. Ex occasione thematis : *Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis.* Luc. vi. dici potest, solere nonnunquam ab aliquibus curiosam hanc questionem moveri; quodnam tandem sit hospitium in universo orbe, in quod maxima pars viatorum ad tempus diverti solet? Et post varias responsiones, et divinationes tandem optima censetur resolutio, quod dicit, illud esse purgatorium. Et si enim major pars hominum, ut perique Auctores censent, in infernum detradatur, hic tamen non ad tempus tantum habitant, atque adeo carcer potius perpetuus dici meretur. At in purgatorio plerique ex electis ad tempus divertunt, ut purgentur. Quomodo tunc ex severitate justitie divine; tum ex variis historiis constat. Cum ergo, ut sæpius ostensum est, Purgatorium ob multitudinem et gravitatem pœnarum acerbissimum sit, merito quisvis prudens, et salutis suæ amans mature sibi de tali remedio prospicit, quod efficacissimum sit, ad se a tali

pena liberandum; tale autem medium ab Ascetis reputatur misericordia defunctis præstita; cum enim ex una parte Christus: Quod uni ex minimis suis præstatur, sibi præstitum censeat; ex altera vero parte promiserit, quod, qua mensura mensuraverimus, eadem nobis remetendum sit, merito, qui animas sapius, et in his etiam Christum ex purgatorio liberavit, sperare poterit, similem se charitatis mensuram olim accepturum, et aut omnino a purgatorio liberatum iri; aut certe non diu ibi mansurum, id quod variis historiis confirmari potest. Hortetur præin exhortator Auditores, ut præsentem occasionem defuncto succurrendi tanto promptius arripiant, quanto magis ille propter varios titulos, quos commemorare potest et laudare, sed præcipue propter virtutem suam, tale charitatis officium est promeritus.

XIII. Ex occasione thematis: *Date et dabitur mensuram bonam, confertam, cogitatum et superfluentem dabunt in sinum vestrum.* LUC. VI. dici potest, multa quidem esse media, quibus infinita Dei in homines liberalitas provocari possit. Sed nullum perinde ad hunc finem utile, efficaceque esse, ac misericordiam. Cum enim Deus ex una parte sit zelator honoris sui, propriumque illi sit misereri, et parcere, nunquam patietur, ut ab homine in liberalitate vincatur, sed potius, ut divitiarum suarum et liberalitatis infinitam abundantiam ostendat, centuplum pro simplici beneficio compensat. Hinc nil adeo S. Scriptura, quam misericordiam commendat. Hinc MICH. c. VI. dicitur: *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum* (præ reliquis intellige) *et quid Dominus* (specialiter) *requirat a te, utique facere iudicium et misericordiam.* Hinc Christus misericordiam Patris celestis dumtaxat, et nullam aliam virtutem specialem imitandum proponit, dicens LUC. VI. *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est.* Quod si autem hæc de quavis misericordia recte dicuntur, principaliter tamen locum habent in misericordia defunctis præstita, uti ex tribus conditionibus intelligitur, quæ quibus plerumque magnitudo et præstantia misericordiae aestimatur; nimirum primo *ex qualitate personæ, cui datur;* quo enim hæc miserior et dignior, et quo minus se juvare potest, tanto major est elemosyna; atqui constat, nullam miseriam cum tormentis purgantium animarum comparari posse. Constat item nullum eis competere remedium ad se liberandas. Constat, esse jus-

simas, Deoque gratissimas, atque ita dignas tali favore. 2<sup>o</sup> *Ex qualitate elemosynæ, seu rei, quæ datur;* quo enim hæc abundantior est, et ad miseriam tollendam aptior, tanto præstantior est misericordia: atqui auxilium defunctis præstitum amplissimum est, utpote, quod omnia misericordiae corporalis opera eminentiori longe modo comprehendit, qui enim v. g. Sacrificium Misse, vel communionem pro iis offert, pascit eas SS. Christi corpore; potat S. Sanguine, et nectare celesti; facit cooperiri nudos, veste gloriæ; non tantum visitat aegrotos seu afflictos, sed etiam efficaciter a malis liberat: redimit captivos ex severissimo carcere: et effectum, qui per sepulturam potissimum intenditur, scilicet auxilium spirituale abundanter communicat. 3<sup>o</sup> *Ex qualitate affectus, cum quo datur.* Quis autem major affectus esse potest, quam illius, qui se ipsum fructu satisfactionis ad propria debita solvenda necessario spoliat, ut eum animabus transcribat non sine periculo, easdem penas ex defectu solutionis incurrendi? Annon hic vere dicitur, majorem charitatem neminem habere, qui deo dei animam pro amico suo? Facilis inde erit digressio ad opem pro defuncto petendam.

XIV. Ex occasione thematis: *Noli timere; plures enim vobiscum sunt, quam contra vos* IV. RÆ. cap. VI. dici potest solere Reges et Principes semper secum corporis custodes (Leibgarde) habere; idem autem cuiusvis homini tanto magis procurandum esse, quanto pluribus ab hostibus non temporalem dumtaxat, sed æternam mortem inferre molentibus oppugnatur; nullos autem meliores custodes esse, quam animas, quia hæc præ aliis volunt et possunt juvare: volunt, quia beneficii accepti magnitudo eas urget: possunt, quia comitante misericordia quodvis auxilium a Deo facile impetrant. Hinc ECL. XX. c. *Conclude elemosynam in sinu pauperis et hæc pro te exorabit, ab omni malo.* Si ergo Ludovicus rex Gallia propria manu elemosynam pauperibus distribuisset, dicens, hos esse optimos custodes corporis, et Regni sui; quidni idem potiori jure erga animas defunctorum fiat? Afferatur subinde nunc vel alterum exemplum, quo ostendatur, quam fideliter succurrant, et ab hostibus defendant, v. g. Eusebii Ducis Siciliae, quem contra Ostrogium quadraginta millia redempta animæ in specie candidi exercitus defenderunt; aut militis, quem in cæmeterio pro ipsis orare solitum, mortui et sepulchris

prodeuntes contra inimicos sunt tutati, uti in Spec. Exmpl. videre est. Applicatio erit facilis ad defunctam. Præcipue si ostendatur, ipsum in vita adhuc valde sollicitè quævis mola a suis domesticis aliisque addictis propulsasse.

XV. Ex occasione thematis: *Date nobis de oleo vestro.* MATTH. XXV. dici potest animas defunctas aliqua ex parte posse comparari Virginibus fatuis quæ non de sufficienti oleo sibi providerant; hinc exclusas ad tempus a celestibus nuptiis non sine maximo suo dolore: quia tamen paratus est adhuc sponsus eas admittere, ubi lampades sufficienter instructas habuerint, ideo ad nos eas modo clamare: *Date nobis de oleo vestro.* Quandoquidem ergo nil nobis decedit, si oleum misericordiae porrigamus; sed illic certo gratiam et occasionem comparandi novi olei nobis impetratura sunt, liberales esse nos oportet in oleo hoc offerendo; ad quod faciendum exhortandi erunt Auditores illam Tobie c. IV. sententiam usurpando: «Quantum poteris, esto misericors; elemosyna enim a morte, et ab omni peccato liberat, et non patietur ire animam in tenebras.»

XVI. Ex occasione thematis: *Est autem Jerosolymis probatica piscina.* JO. v. ostendatur talem piscinam esse purgatorium, in qua jaceat multitudo magna languentium, aridorum, caecorum expectantium aquæ motum, id est, lacrymarum, quas viventes pro mortuis effundunt, effectum, sed hominem, pro dolor, illas non habere, qui eas in has aquas demittat. Excitandi proin AA. ut ipsi angeli vice fungantur et has aquas in corde suo moveant, simulque etiam defunctum in has aquas demittant, ut suo tempore, et ipsi similem vicissitudinem expectare possint.

XVII. Ex occasione thematis: *Collocavit Deus ante Paradisum voluptatis Cherubim, et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vite.* GEN. III. dici potest per hunc gladium flammeum, ut S. Bruno in Ps. CXVII. interpretatur, merito intelligi purgatorium, utpote per quod perinde arceatur animæ a paradiso celesti, ac per flammeum illum gladium; versatilem vero dici, quia cum celeritate per eum fideles transibunt, et mediantibus viventium suffragiis cito liberabuntur. Exhortandi proinde Auditores, ut dicant cum Davide II. RÆ. c. XXV. *Vertatur obsecro manus tua contra me, offe-*

rantque holocausta et pacifica, ut propicietur Deus, et plaga a defuncto avertatur.

XVIII. Ex occasione thematis: *Petrus versabatur in carcere, oratio autem fobat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* ACT. c. XII. n. 5. dici potest idem contingere animabus purgantibus, ut quæ et ipsa jussu supremi Regis includantur in carcere et dentur quantor quaternionibus militum id est, Diaboli custodiendæ, et per portam ferream, id est, gravissimas penas, et justitiam divinam cohibeantur, quo minus libere in cælum evolare possint! Quia tamen ab Ecclesia pro illis sine intermissione oratur, ideo mitti a Deo Angelum, qui dicat: *Surge velociter, circumda tibi vestimentum tuum, id est, gloriæ divinæ, duceatque illas ad conspectum Dei per portam ferream ultro apertam.* Itaque cum timeri possit, ne etiam defunctus in istum carcerem conjectus sit, excitandi Auditores, ut sine intermissione pro illo orent, ut sic et ipse per Angelum e carcere educa-

XIX. Ex occasione thematis: *Fer prandium quod habes in Babylonem Daniël, qui est in lacu leonum.* DANIEL. XIV. dici potest purgatorium vere dici posse locum leonum, eo quod animæ ibi sedeant inter cruciatum, et gravissima fame, sen desiderio beatitudinis vexentur, ac proinde Angelos suos custodes apprehendere nos in vertice, excitando nos ad misericordiam et suadendo, ut bona opera, quæ pro nobis ipsis paraveramus, ipsis transcribamur et portemus. Quam proinde celeriter ac prompta mente descendere ad ipsas cum Angelis debeamus et dicere: *Serve Dei, tolle prandium* (vel auxilium), *quod tibi misit Deus.* Et respondebunt illæ haud dubio: *Recordatus es mei Deus, et non dereliquisti diligentes te;* applicatio ad defunctum non erit difficilis.

XX. Ex occasione thematis: *Tunc Nabuchodonosor repletus est furore et præcepit, ut succenderetur ignis septuagium, quem succendi consueverat.* DAN. VII. dici potest, Regis nomine merito Deum iratum intelligi; fornacis autem nomine Purgatorium, quod, ut S. Bonav. ser. III. de mortuis ait, septuagium, id est, universaliter aeris urit, quam aliquis ignis, vel aliqua pena præsentis vite. Per tres pueros autem Deum benedictentes recte intelligi animas, ut quæ nil aliud in fornace illa faciunt, nisi Deum benedicere. Quare nil aliud superesse, quam ut nunc aliquis venias similis Filio Dei (id est miseri-



cors, sicut Pater in cœlis) et suo auxilio excutiât flammam ignis de fornace, et faciat medium fornacis, quasi ventum roris flantem. Ad quod proinde officium assumendum erunt Auditores excitandi.

## FONS IV.

## Ex mediis.

Ex hoc fonte plurimi etiam conceptus desumi possunt: tot scilicet, quot media suppetant ad animas liberandas, estque vel ideo etiam aptior ad exhortationes habendas, quia medium per aptam aliquam similitudinem proponi et deduci potest. Modo in his et aliis similibus exhortationibus semper studeat Exhortator, ut aliquid ad laudem defuncti pertinens inferatur, quo ostendatur, dignus esse, ut per tale medium ei succurratur.

Itaque I. Ex occasione thematis: « *Quandocumque Spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul, et levius habebat.* RUC. XVI. dici potest per Spiritum Domini malum intelligi Diabolum, animas in purgatorio cruciantem; per David ipsum Christum; hic enim est coram Deo pulcher aspectu, decoraque facie, et nimis dilectus; per citharam autem Eucharistiam, quia hæc per anagramma idem significat, ac cithara Jesu. Per servos denique Saulis, qui adduxerunt et constituerunt David, significari pios Christianos, qui vel communionem vel Sacrificium Missæ offerunt pro defunctis; unde ostendendum erit, quam prosit hoc medium liberandis animabus purgantibus; atque ad illud adhibendum auditores excitandi. Vid. *die beilsame Kurtzweil* fol. 39.

II. Ex occasione thematis: *Sume citharam, circæ civitatem.* ISAÏ. XXIII. narrari potest fabula de Orpheo, Eurydicem uxorem suam ab inferis per citharam suam reducete. Aut de Ansberta maritum suum per citharam ex Turcæ manibus eripiente, ut P. Jacobus Biderman in suis aeromatibus narrat; et per citharam Eucharistia intelligi, tum propter supra dictum anagramma; tum quia loco corporis citharæ quantitas Eucharistia sine substantia existens; loco fidium vero majorum attributa divina, (puta omnipotentia, sapientia, bonitas, immensitas, immortalitas) minorum vero virtutes in eadem Eucharistia elucentes (puta humilitas, cha-

ritas, obedientia, zelus gloriæ Dei, patientia) intelligi possunt; vel si placet, etiam oratio citharæ comparari potest, juxta illud Ps. XLII. « *Confitebor tibi in cithara Deus, quare tristis es anima mea (defuncti scilicet) et quare conturbus me (lacrymis et laboribus tuis). Spera in Deo quoniam adhuc confitebor tibi, (orans pro te) salutare vultus mei et Deus meus.* » Excitandi proinde Auditores, ut sumant citharam, et sonare incipiant, nec dubitent, quin animam a se petitam efficacius multo, quam Orpheus Eurydicem sint liberaturi.

III. Ex occasione thematis: *Panem et vinum super sepulturam justis constitue.* TOR. IV. dici potest, esse laudabilem consuetudinem in aliquibus locis, ut super sepulchro defuncti per aliquot dies cibus et potus constituat, et postea pauperibus dividatur. Hunc morem autem tanto constantius erga defunctos observandum, quanto melior occasio offertur, præstantissimum panem corporis, et vinum sanguinis Christi offerendi, quantoque avidius illum animæ desiderant, utpote præ aliis mediis utilem ad liberationem citius procurandam. Hinc cum quidam alicui aliquot Sacrificia post mortem persolvenda promississet, et legere neglexisset, mortuus apparet graviter de fide non servata questus est. Cumque alter diceret, se multa alia pro eo obtulisse, clamavit defunctus: « *Sanguinem, sanguinem exposco.* » Certe B. Joannes de Alvernia post factam in sacro consecrationem vidit animas velut flammæ ex igne copiose sursum evolantes uti Dauidius in catech. histor. a. VIII. rit. XXI. ex. 6. Recte ergo quidam animas sic loquentes introduxit:

« *Wir leyden grosse Hungers-Noth,  
Ach Speist uns mit der Engel-Brod!  
Sehr düstlig macht uns dieze Gluth,  
Ach trancket uns mit Christi Bluth!* »

Ostendatur subinde, quanto desiderio et devotione defunctus frequenter hunc panem et vinum in vita sumpserit, quantoque adeo vehementius desiderium eorum nunc sit habiturus.

IV. Ex occasione thematis: *Venite post me, faciam vos piscatores hominum.* MATTH. IV. dici potest, esse quidem commune proverbium: Per pisces et aves multi perire solent.

« *Durch Fischen, und durch Vogel fangen,  
Ist mancher Student zu Grund gangen.* »

« *Hie lieg ich, und schrey über sich,  
Geh nicht fürüber, und beth für mich.* »

Verum autem piscandi animas defunctorum esse non modo non noxiam, sed summe salutarem ad salutem obtinendam. Itaque ostendatur, 1<sup>o</sup> Que instrumenta ad hanc piscationem sint necessaria, scilicet intentio velut virga, per quam esca porrigatur: funiculus triplex charitatis erga Deum, proximum et seipsum qui proinde difficulter rumpitur; hamus duplex justitiæ et misericordiæ divinæ: esca varia bonorum operum orationis, eleemosynæ et jejunii. 2<sup>o</sup> Quod per hanc piscationem tales pisces attrahantur, qui in ore habeant staterem, quo totum debitum suum homo possit persolvere, atque adeo se et animas a purgatorii poenis liberare. Itaque excitandi Auditores, ut sibi illud Christi imperium MATTH. XVI. applicent: « *Vade ad mare (Purgatorii) et mitte hamum, et cum piscem, qui primus ascenderit, tolle, et aperto ore ejus invenies staterem (charitatis divinæ) et illum sumens da eis pro me et te.* » Proderit hunc in finem narratio historiæ de puero super sepulchrum matris orante, qui visus est aureo hamo, et funiculo argenteo pulcherrimam animam extrahere, uti Spec. Ex. d. g. ex. CXIII. refertur. Vid. in *der beylsamen Rutzweil* a fol. 9. usque ad 26.

V. Ex occasione thematis: *Sancta et salubris est cogitatio pro defunctis errare, ut a peccatis solvantur.* II. MATTH. XII. dici potest aliquos solere ad pisces capiendos appendere pro esca pilulas, ex variis aromatibus confectas, utpote, quas mira aviditas a piscibus devorari simulque hamum attrahi, experientia doceat; simile medium autem pro animabus piscandis adhibendum, scilicet globulos rosarii seu orationem Dominicam, salutationem angelicam; has enim pilulas, utpote ex præstantissimarum virtutum, encomiorum et petitionum aromatibus compositas ab ipso Christo et Ecclesia miram vim habere ad animas defunctorum ex purgatorio extrahendas. Hinc non semet easdem ipsæmet animæ expetierunt, certe Conradus de Ospida, cum pro anima auxilium ab eo poscente orationem Dominicam recitasset, audivit rogantem, ne desideret ab hac oratione, neque enim explicari posse, quantum inde solatium conciperet; paulo post vero gloriosa apparet summas pro collato orationis beneficio gratias egit. Hinc merito quidam sepulchris suorum amicorum hos versiculos inscribi curaverunt.

Ostendatur subinde (si cum veritate dici queat) quantopere etiam defunctis semper orationis fuerit studiosus, quam diligenter et constanter pro defunctis oraverit, quamque adeo mereatur, ut similem misericordiam ipse quoque experiatur. Introduci proinde potest ad suos amicos sequentia suspiria emittens:

« *Selbt, wie es mir so übel gebet,  
Ach helft mir doch durch viel Gebeth.* »

Vide in *der beylsamen Kurtzweil* fol. 27.

IV. Ex occasione thematis: *Ego Daniel iugebam trium hebdomadarum diebus, et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare et deprecari in jejunio sacco et cinere.* DAN. X. dici potest videri Daniele suo exemplo confirmare, jam olim viguisse salutarem consuetudinem, trigessimam pro defunctis celebrandi, et in frequentibus assidueque precibus insumendi; *Multum enim valet deprecatio justis assidua* JAC. V. Sed et ipse Deus hunc morem approbasse et commendasse videtur, dum Danieli dicto modo oranti dixit: « *Noli metuere, Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua.* » Itaque excitandi Auditores ad tam salubrem consuetudinem retinendam, et orationem per triginta dies continuandam, memores, quantam sollicitudinem et charitatem defunctis non solum per triginta dies, sed forte etiam annos pro eorum commodis promovendis impenderit.

VII. Ex occasione thematis: *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit ab omni malo* ECCL. XX. dici potest inter alia media ad pisces capiendos etiam sanguisugas adhiberi. Eas vero in spirituali piscatione animarum præ reliquis mediis salutares esse; intelligi autem per illas eleemosynam, utpote per quam nimia divitiæ, sicuti per sanguisugas nimius sanguis extrahitur. De cujus proin efficacia afferri imprimis potest testimonium ECCL. C. II. dicentis: *Ignem ardentem extinguit aqua, et eleemosyna resistit peccatis, et Deus prospector est ejus, qui reddet gratiam.* Deinde S. Chrysost. ser. IX. super Matth. memorabilis hæc sententia: « *Eleemosyna amica Dei constituit et semper ei propinqua, pro quibuscumque ma-*

luerit, facile munus gratie impetrat, vineula peccatorum ipsa dissolvit, fugat tenebras, extinguit ignem. Huic cum nulla fiducia portae caeli aperiantur, et veluti Regina intrante nullus custodum qui assistunt, audeat dicere: Que es tu? Vel unde? Sed omnes eam e regione suspiciunt. » Ad hanc proinde eleemosynam excitandi Auditores illis S. Tobiae c. iv. verbis: « Quantum poteris, esto misericors; si multum tibi fuerit, abundantius tribue; si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. Coronat Deus voluntatem, inquit S. Augustinus in Ps. ciii. ubi non invenit facultatem; nemo dicat: Non habeo, charitas de saeculo non erogatur. » Claudatur postea exhortatio ostendendo; quod implenda suo tempore sit altera pars sententiae citatae: Et haec probe exorabit ab omni malo, nempe peccati, infirmitatis, infortunii, male mortis, purgatorii. Vide in *der beysame kurtzweil* fol. 52. ubi in fine junguntur duo versus, qui pro epologo adhiberi possunt. Nempe:

» Secht wie die Flammen schlagenaus;  
Ach durch Allmosen heft uns draus! »

VIII. Ex occasione thematis: *Tollens autem Respha filii Aia cilicium; substravit sibi supra petram ab initio mensis, donec stillaret aqua super eos de caelo, et non dimisit aves lacere eos per diem, neque bestias per noctem* II. REG. XXI. ostendi potest, quomodo ultimam charitatis officium defuncto praestari debeat; quid enim per suspensos filios Saulis aliud intelligitur, inquit Thomas Cantipratanus lib. II. Apum, nisi animae in purgatorio ex cruciatae. Has Respha, id est, fidelis amicus juvare debet vigiliis, vel labore initio mensis, hoc est, defectus vite in morientibus, secundum quod Eccl. cap. XXII. dicitur: *Super mortuum plora; deficit enim lux ejus*. Has ab avibus et bestiis, hoc est, tortoribus Daemonibus lacerari non sinas exorando suppliciter Deum, nec a laboribus cesses, donec stillet aqua de caelo super infectos et pietate divina eas confidas liberatas. Ita ille. Unde applicatio facilis ad defunctum, tantoque magis impelli possunt ad hoc obsequium Auditores, quanto magis eidem quocumque titulo conjuncti extiterunt.

IX. Ex occasione thematis: *Scitote, quoniam exaudivit Dominus preces vestras: si manentes permanseritis in jejuniis et orationibus in conspectu Domini*. JUD. IV. dici po-

test, videri animas purgantes similes illi lunatico, de quo MATTH. c. XVII. ait, quod Pater cum Christo offerens dixerit: « Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur, nam saepe cadit in ignem et crebro cadit in aquam. Et obtuli eum Discipulis tuis, et non poterunt eum curare. » Nam et haec animae utique graviter cruciantur, et in ignem vehementissimum, et aquam profundissimam tribulationum ceciderunt. Unde clamant cum S. Davide Ps. LXXIII: « Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquae usque ad animam meam: veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me: laboravi clamans, raucae factae sunt fauces meae. » Et si vero etiam multis interdum offerantur liberanda per orationes; non possunt tamen eas liberare, quia hoc genus Daemoniorum non eicitur, nisi in oratione, et jejuniis, praecipue generali sive abstinentia a peccatis. Hinc de filio quodam in Spec. Exemp. V. Defuncti, legitur, qui triginta annis pro patre defuncto constanter oraverat, nec tamen eum liberare poterat, quia semper in peccato mortali preces offerebat. Ergo curandum, ut Deus dicere possit, quod Daniell c. x. dixerat olim: « Ex quo posuisti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua. » Ostendendus proinde modus afflictionis variae, spiritualis scilicet, per abstinentiam a peccato, et vindicta inimicorum compressionem inordinatorum desideriorum; et corporalis per abstinentiam, et patientiam in sufferendis miseriis corporalibus.

X. Ex occasione thematis: *Sub umbra illius, quem desideraveram sedi et fructus ejus dulcis gutturi meo*. CANT. II. dici potest, etsi haec verba communiter ad Christum et Ecclesiam applicentur; merito tamen posse etiam animabus purgantibus applicari, ita ut ille quoque fateantur, se non modicum levamen aestus nimii ab auxiliatoribus sentire, fructumque eorum, quem de operibus suis, illis applicant, dulcem gutturi suo esse. Hinc ostendendum, quomodo quis fructum operum suorum pro animabus applicare possit, quantaque dulcedo seu solatium ex iis inanius redundatura sit. Vide *die beysame kurtzweil* fol. LXXVII. ubi reperies sequentes versus ad eundem finem factos.

« Nach Gottes Angesicht seuffzen wir,  
Ach durch gute Werch maect auf die Thür! »

XI. Ex occasione thematis: *Facite vobis anteos de Mammona iniquitatis, utcum defeceritis, recipient vos in aeterna tabernacula*. LUC. VI. dici potest, per Mammonam iniquitatis recte intelligi posse indulgentias, quae animabus applicari possunt, haec enim vera Mammona iniquitatis dici queunt; quatenus sunt divitiae ad debita, per iniquitates contracta dissolvenda ordinata. Ostendatur proinde, quam efficax medium ad animas cito liberandas sint indulgentiae, praecipue plenariae. Demonstratur dein, quam frequentes occasiones habeant Auditores ad ejusmodi indulgentias defuncto applicandas, praesertim si sunt Congregationi Rosarii inscripti, quamque adeo multos amicos sibi facere possint per ejusmodi indulgentiarum applicationem. Vide *beysame kurtzweil* fol. 85.

XII. Ex occasione thematis: *Pater Abraham, misere mei, quia crucior in hac flamma*. LUC. XVI. ostendi potest, 1º Quam gravis et vehemens sit ignis purgatorii, ita ut secundum Caesarium Arelatensem hom. VII. durior sit, quam quod potest ponarum in hoc saeculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri: secundum S. Hieronymum, et aliorum sententiam sola diuturnitate ab infernali igne differat. 2º Ostendatur, quibus mediis extingui possit hic ignis, scilicet iisdem, quibus ignis materialis extingui solet, nempe aquis lacrymarum piarum et utilium, sanguine Christi copiose affuso, lacte, id est, B. Virginis patrocinio ipsius animabus impetrato, aut Reliquias Sacras, id est, pia Deoque grata opera in flammis projiciendo. Incitentur proin Aditores ad aliquid ex his mediis applicandum.

XIII. Ex occasione thematis: *Quis erit ex vobis homo, qui habet oream; et si ceciderit haec sabbatis in foveam, nonnetenebit et elevabit eam?* MATTH. XII. dici potest, quam horrenda sit fovea, in quam inciderunt animae purgantes; ita ut merito claiment: « Foveam foveam animae meae; » et ex illa opem nostram invocent, sicut olim Joseph in cisterna constitutus. Cavendum itaque, ne, si petiant opem non feramus cum fratribus Joseph. GEN. XLII. « Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum, videntes agustiam animae illius, dum deprecaretur nos, et non audivimus. Idcirco venit super nos ista tribulatio. » Itaque ostendendum erit, quomodo animas ex hac fovea educere possimus, scilicet porrigendo scalam SS. Sacri-

ficii, per quam Deus descendit ad nos, et ad illum. 2º Funiculum Rosarii aut aliarum simillium precum porrigendo. 3º Porrigendo manum per largitionem elemosynae. 4º Projiciendo arbores aut alias similes materias, uti fossae impleri et per ea aditus ad muros fieri solet. Quomodo etiam elephanti socios in foveam lapsos liberare dicuntur. Possunt autem per has arbores intelligi bona opera mortificationis, obedientiae, charitatis aut aliarum virtutum. Vide Fab. tr. de fest. in commem. Anim. eo. 6.

## FONS V.

## Ex impedimentis.

Ex hoc fonte etsi parcius sumenda sit materia per exhortationibus, utpote non adeo copiosa, tamen negligi non debet, cum multum prosit ad falsas opiniones de animarum statu emendandas.

Itaque I. Ex occasione thematis: *Ipsae Satanas transfugatur sicut in Angelum lucis*. II. CON. XI. ostendi potest, quantopere Daemon conetur impedire liberationem animarum, eumque in finem recitari pulchra historia de S. Theobaldo Episcopo, qui triginta Missas ab anima petitas pro sui liberatione, nunc per fictitium incendium; nunc per discordiam inter cives conflictam; et tandem per ludicram civitatis oppugnationem a Sacrificio offerendo impedire conatus est, uti in Spec. Exemp. d. VIII. ex. LXIV. videre est. Exponenda ergo similia impedimenta, scilicet amor proprii commodi, amor amicorum; et amor peccatorum in periculo suae salutis existentium, quae proinde omnia impedimenta ut Auditores fortiter rejiciant, animandi erunt. Vide *die beysame kurtzweil*.

II. Ex occasione thematis: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiar?* MATTH. XVI. dici potest, hunc esse potissimum astum, quo Daemon multos illaqueat, et ab auxilio animabus ferendo impedire conatur. Quod scilicet charitas a se ipso incipiat: quod nemo bonus sit, qui sibi nequam est. Unde ostendendum primo, quod non agant contra charitatem, quia juvando animas, certius, abundantius, et citius salutem consequuntur, quam si omnes vires ad seipsos juvandos converterent, uti fuis-